comprehendunt. Sint ergo primum comprehendentes ipsum a b & a c data latera, & facto in c polo describatur circumferentia maximi circuli d e f, & compleantur quadrantes c a d & c b e, atq; a b productum secet d e in f signo. Ita quoq; in triangulo a d f datur a d latus reliquum quadrantis ex a c. Angulus etiam b a d ex c a b ad duos rectos. Nam eadem est ratio angulorum atq; dimensio, qui rectarum linearum ac planorum sectione contingunt, & d angulus est rectus. Igitur per quartam huius erit ipsum triangulum a d f datorum angulorum & laterum. Ac rursus trianguli b e f inuentus est angulus f, & e rectus per polum sectione, latus quoq; b f, quo tota a b f excedit a b. Erit ergo per idem Theorema & b e f triangulum datorum angulorum & laterum. Vnde ex b e datur b c reliquum quadrantis & latus quæsitum, & ex e f reliquum totius d e f, quod d e, & est angulus c, atq; per angulum qui sub e b f, is qui ad verticem a b c quæsitus. Quod si loco a b assumatur c b, quod dato opponitur angulo, idem eueniet. Dantur enim reliqua quadrantium a d & b e, atq; eodem argumento duo triangula a d f & b e f datorum angulorum & laterum, ut prius, é quibus triangulum a b c propositum datorum fit laterum & angulorum, quod intendebatur.

## XII.

Adhuc autem si duo anguli vtcunque dati fuerint cum aliquo latere, eadem euenient. Manente enim præstructione figuræ prioris, sint trianguli a b c, duo anguli a c b & b a c dati cum latere a c, quod vtrique adiacet angulo. Porro si alter angulorum datorum rectus fuisset, poterant cætera omnia per quartum pręcedens ratiocinando consequi. Hoc autem differre uolumus, quo minus sint recti. Erit igitur a d reliqua quadrantis ex a c d, & qui sub b a d angulus residuus ipsius b a c, è duobus rectis, atque d rectus. Igitur trianguli a f d per quartam huius dantur anguli cum lateribus.